

propinquare potest hominibus, sine omni, & sui ipsius mutatione, & essentiæ suæ, vel cum rebus creatis unitisque coniunctione, vel divisione, velemanatione essentiali. β) Manifestationem hujus suæ appropinquationis, per varias operationes effectusque, nunc omnisapientiæ, & omnipotentiæ, nunc gratiæ, amoris, misericordiæ, patientiæ similiumque attributorum divinorum, in primis illius gratiæ, quæ in Christo nobis data est, nunc justitiæ & iræ, nunc gloriæ & majestatis suæ infinitæ divinæ. Hoc posterius BAKIUS & GESNERUS, citatis supra locis, sic recte explicuerunt: *Nomen Dei*, inquit ille, *est, quicquid de Deo prædicatur, quod videlicet sit bonis misericors & clemens, malis vero justus & vehe mens, quando benefacta remunerat, & malefacta punit;* Hic vero, *Nomen Dei*, scribit, *est illa gloria Dei, quæ in stupendis ejusdem operibus elucebit.* Ergo & *Nomen Dei* tum dicitur *propinquum esse, quando Deus, admiranda sua liberatione fidelium, præsentiam suam manifestat, atque ita gloriam suam illustrem reddit.* Prior illa pars appropinquationis ipsius Dei unitrini, quam alii approximationem essentiæ divinæ nominant, ad explicandum pariter atque intelligendum diffici lima est. Posterior autem pars, quæ manifestationem hujus appropinquationis divinæ per varias operationes & effectus omnisapientiæ, omnipotentiæ, gratiæ, gloriæ, justitiæ & majestatis, divinæ, continet, hoc est, omnis generis & beneficia, nunc corporalia, nunc spiritualia, eademque singularia, & pœnas singulares, illa ab omnibus facilius, & apprehendi tur, & intelligitur. Hæc causa est, cur multi, explicantes appropinquationem Nominis divini, hanc posteriorem solam, prætermissa priore, proponant, vide vel solum WIGANDVM, in *Consider. Methodica, de ubiquit. & omnipræf. Dei,* quod fieri tamen, meo quidem judicio, non debebat. In nostro